



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 37. Ejusdem Myst. punct. 3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

## MEDITATIO XXXVII.

*Ad Amorem Spiritualem in nobis excitandum. Myst. punct. 3.*

**C**ONG. Anhelare ad gratiam perfecti amoris in Deum.

**PRÆ. I.** Deum nobis præsentem, & propitium repræsentare.

**PRÆ. II.** Petere gratiam Deum amandi opere, & veritate.

**PUNCTUM I. DEUS OPERANS. MEM.** Considerare Deum propter me in Creaturis suis operantem. Ut in Cælis, Elementis, Plantis, Frugibus, & Animantibus: quatenus dat, &c.

**INTEL.** Meminerimus, quod amor ipse ab operibus magis, quàm à verbis pendet. Atque hinc patet incredibilis Dei in nos amor, qui propter nos, in Cælo, & in Terra operatur tam multa, & tam grandia. **REFL.** Componamus opera nostra propter Deum facta, cum illis, quæ facit propter nos Deus: & videamus, quid æquum sit nos facere.

**VOL.** *Suscipe Domine, &c. Non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere, & veritate. i. Joan. 3.*

**PUNCTUM II. DEUS LABORANS. MEM.** Consideremus Deum, propter me in Creaturis suis... laborantem quodammodo: quatenus dat, &c.

**INTEL.** Quamvis Deus expers sit laboris, opera tamen, quæ facit, tanta sunt, ut sine labore ab eo, qui Deus non est, fieri non possent: ergo Deus juxta modum nostrum loquendi, laborat; sicuti in Scripturâ dicitur pœnitentiâ tangi, &c. & laborat propter me, hoc est, ex amore erga me. **REFL.** Sic

nos

nos vicissim ex amore erga ipsum, debemus laborare in Creaturis; nominatim in proximis nostris, ut omnes tendant ad laudem, & obsequium Dei.

VOL. *Suscipe Domine, &c.* Nolo ex amore erga te deinceps ulli labori parcere, donec, quantum potero, in omnibus hoc egero, *ut cognoscant, quia non est Deus, nisi tu, & enarrent magnalia tua.* Eccl. 36.

PUNCTUM III. DEUS DANS. MEM. Considerabo Deum sic propter me operantem, & laborantem in Creaturis: *quatenus dat ipsis conservatq; id, quod sunt, habent, possunt, atque agunt.*

INTEL. Ratiocinemur, juxta Philosophos, conservationem æquivalere primæ productioni. Igitur Deus quodammodo rebus omnibus, omni momento dat esse, vivere, sentire. & homini insuper intelligere, aliaque dona, vel naturalia, vel supernaturalia: & hæc omnia ex amore erga me.

REFL. Hinc concludam, quàm constanter, & sine quiete propter Deum agere, & laborare debeam.

VOL. *Suscipe Domine, &c.* *Os meum annuntiabit justitiam tuam, totâ die salutare tuum ... usque nunc pronuntiabo mirabilia tua: & usq; in senectam, & senium: Deus ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est: potentiam tuam, & justitiam tuam, &c.* Psal. 70.

COLLOQ Petendo amorem Dei, cum gratiâ ipsius. *Amorem tui solum cum gratiâ tuâ mihi dones & dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.*

RECOLLECTIO.

ME-